

# De perseverantia.

De commendatione perseverantiae & multiplici utilitate, quae ex ipsa procedit.

C A P. I I.

**S**icut enim oculis corporalibus necessaria est lux, vt suo perfruatur sine, ita & omnibus praedestinatis & vocatis ad regnum caelorum hac virtus perseverantiae. Et sicut absque luce frustra aperitur oculus, eodem modo inaniter currit, qui vsque ad finem vitae non perseverat. Quapropter vt omnibus Deo famulantibus, & in mandatorum Deivia pergentibus detur audacia perseverandi, hic aliqua in ipsius virtutis commendationem subscribenda sunt. Nam omnis labor levis efficitur consideratione mercedis. Plurimum nanque ad perseverantiam accedit promissio, quae perseverantibus fit, de qua per Ioannem in Apocalypsi dicitur.

**Apoca. 2.** Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae. Nam semper solet diabolus perseverantiae insidiari, quam solum inter virtutes novit coronari. Utilitates etiam plurimae quae ex hac proveniunt virtute perseverantiae, dant robur. Nam impetrat, quod vult. Vnde Dominus ait de amico, qui media nocte vadit ad amicum, vt panem petat. Si perseverauerit pulsans, & si non dabit, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem eius surget, & dabit quod quod habet necessarios. Si enim homo perseveranter petenti dat ex radio, multo magis Deus qui sine radio largissime donat, quod petitur, perseveranter petenti donat ex amicitia. Et quomodo non dabit perseverantibus in pece, qui vt gratis tribuat nobis, hortatur vt petamus, cui displicet, si non petamus. Quomodo autem quae quae negabit perseveranter petentibus qui sponte obtulit se non petentibus. Et qui proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum ad occidendum, quomodo nobis cuncta, quae perseveranter petimus, non donabit. Haec virtus perseverantiae difficilia facit leuia. Subito namque procedenti de vmbra ad solem, de ocio ad laboris graue est ei, quod incipit, sed postquam in his assuescere & perseverare coeperit, vltus tollit difficultatem, & facile esse incipit, quod impossibile ante putavit. Ipsa nihil imperfectum relinquit. Nam nil est, quod non impugnet pertinax, & intentata operatio, ac diligens & perseverans cura. Videmus mulieres senilis aetatis perseverando longas peregrinationes perficere, & aqua quae adeo mollis est, lapidem tam durum perseveranti percussione cavare. Ipsa meretur apprehendere praemium. Nam perseverantia est singularis filia summi regis, finis virtutum, earumque consummatio, sine qua neque qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Nutrix est ad meritum, mediatrix est ad praemium, soror patientiae, constantiae filia, caritatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tolle haec, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem sortitudo. Sola est, cui aeternitas redditur, dicente Domino. Qui autem perseverauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Quam multi sunt, & quae sint illa, quae hominem, ne perseverantiam censeat, praecipiant.

C A P. I I I.

**S**ipienti proficere, & ad palmam virtutis pervenire anholanti non sufficit, quae agenda sint scire, nisi etiam cognoscat, quae de-

beat declinare. Quare nunc subsequenter, quae perseverantiae aduersantur, dicenda sunt, quatenus vitia, rumque scientia edoctus & praemunitus, valeat facilius ad finem properare. Vnde sciendum est, quod plura sunt, quae perseverantiae aduersantur, videlicet primo fatuitas sicut scriptum est. Stultus vt luna mutabitur. Nam sapientia habet idem velle, idem nolle, diuerfitas vero vitium est, & signum vacillantis animi, ac nondum habentis vigorem suum. Proponit sibi quod vult, nec in eo quod sibi proposuit, perseverat, sed transilit, nec tantum mutat, sed redit in ea, quae prius deseruit, ac damnauit. Variatur quotidie in talibus iudicium, & in contrarium vertitur, ac agitur eorum vita per vltum. Aduersatur etiam non mediocriter perseverantiae peccatum. Nam cor impij quasi mare fertur, quod quiescere non potest. Iuxta quod scriptum est. Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est. Vltata nanque culpa obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur, & labitur, quia vbi sponte diu persitit, ibi etiam quum noluerit, cadit. Lex enim peccati est violentia consuetudinis, quae trahitur iniustus animus eo merito, quo in eam volens lapsus est, ad quam quodam progressu peruenit anima. Primo fit titillatio delectationis in corde, deinde consensio, tertio operis perpetratio, postremo consuetudo, in quam deueniens anima, suorum extra se trahitur vinculis peccatorum. Multum quoque reddit instabilem animum impatientiae vitium, & ad perseverantiam ineptum. Quis siquidem tam felix est, vt qui dederit impatientiae manum, illico statum suum mutare non optet. Coerceri omnino nequit animum impatientiae vitio commotus, quia zelus sapere nescit, & impatientia consilium non habet, ratione caret, & sui iuris esse non potest, aut secum commorari, quisquis morbo impatientiae irretitus est. Carentia timoris similiter virtute perseverantiae priuat hominem. Timor enim stabilem animum reddit, sicut ancora nauem stare facit. Ancora nanque mentis est pondus timoris. Fugit ouis tremebunda ad caulas veniente lupo. Abscondit se columba pavitans accipitre viso. De caverna mus exire non audet esuriens ambiente cato. Sic nec qui timet, aut amittere gratiam & gloria, vel incidere in peccatum, & damnationem a soliditate perseverantiae poterit se amouere. Defectus quoque dilectionis longe facit hominem a perseverantia. Amor quoque boni animum stabilem facit, sicut radix profunda arborem. Qui enim implantatus est, abundabit nequitia. Nam & amicitia tanto certior, quanto profundior est, quia facile mutari non potest, quod per longa tempora custoditur. Qui vere est amicus, perseveranter & omni tempore diligit. Nam tormentum non separat, labor non laxat, thesaurus non superat, alienus amor non occupat. Aduersatur etiam vehementer perseverantiae cordis duplicitas & simulatio, de qua dicitur. Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis. At contra nihil stabilius, nil felicius simplici corde, quia qui innocetiam erga alios exhibet, nihil est quod ab aliis formidet. Habent enim arcem animi simplicitate suam, nec suspectus est patris, quod se fecisse non meminit, nec ab incepto itinere deniat, qui semper roboretur dulcedine in terra puritatis & simplicitatis. Mens autem praua & duplicitate plena semper in laboribus est, semper in fluctu.

Ecl. 7.

Tren. 1.

Apoca. 2.

Luc. 11.

10

20

30

40

50

60

fluctu